



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 2. Sortes non idcirco imitandas, quia veteri testamento, aut à  
quibusdam Sanctis fueru[m]t vsurpatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

68 Cap. III. De illicitarū & diabolicarū  
immo sæpius non licet, diuinis humanisque  
legibus obnunciantibus.

§ II.

*Sortes non idcirco usurpandas, quia in veteri  
testamento, aut à quibusdam Sanctis u-  
surpatæ fuerunt.*

Primum documentum. Sortes etiam in Scripturis narratæ, & à quibusdam Sanctis usurpatæ, non idcirco nunc etiam omnes licitæ sunt. De Sanctis constat, eos, ex peculiari Dei instinctu, quædam miranda magis, quam imitanda fecisse. Nimis diu alijs expectandum foret, si domum redire nolent, donec eis projectas in mare claves pisces referret, ut S. Bennoni & S. Maurilio contigisse, supra meminimus. Neque vaccarum aut mularum aliorūmq; animalium iudicio, aut indicio potius, permittendum est, quæ eundum sit: tametsi, in veteri Testamento, vaccis ita arca sit imposita; & camelis, sine duce, ituris ad S. Frontonium commissus commeatus; aut ab Ignatio mulæ permisum, vtram ingredi viam vellet. Adde, & Sanctos non semper ab infantia fuisse sanctos; neque omnia, quæ vñquam fecerunt, sancta arbitranda; cum homines fuerint, & subinde, ut homines errârint.

Com-

1. Reg. 6.  
7.

Communis via tutissima; præsertim mortalibus, quibus est cōmunis vita. Certè, ne q̄s seipsū decipiat, si in SS. litteris legat *Sortes* adhibitæ. Prudentissimè, post S. Hieronymum & Bedam, monuit Gratianus, eiuscemodi *Sortes* ad nostra tempora nō pertinere: quia illa sortitio cærimonialis fuit. Itaq; cum veteris legis cærimoniarum abrogatione, ista quoq; sortitionis cærimonia sublata est. Qua ipsa de caussa monet Beda, Apostolos, ante S. Spiritum acceptum, in electione Matthiæ, adhuc legali cærimonia usus fuisse; postquam autē Spiritus S. in eos missus est, nullam deinceps *Sortem*, sed solam orationem, cum ieunio, adhibuisse. Vnde postea septem Diaconos, *Act. 6. &* & Presbyteros sic elegerunt. Sane, cum Sal-  
*nator*, qui fallere non potest, nec falli, cuncta promittat orantibus; stultum & absurdum est, *Matt. 7.7.*  
*Ioan. 14.13.*  
*relicta oratione, quæ promissionem habet; con-* *Delrius*  
*fugere ad Sortem, cui se ad futurum Deus, in l. 4. dif-*  
*novo testamento, non repromisit.* *quis, c. 4.*  
*q. 1.*

## §. III.

*Illicitas esse, in novo Testamento, Sortes, quibus,*  
*sine peculiari Dei dispensatione, aut in-*  
*stinetu, res occultæ, futuraq; cu-*  
*riose indagantur.*